



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXVI. Si tibi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## SUMMARIUM.

1. Ut in Ecclesia aliqua major numerus sit præbendarum, quam Canonicoꝝ, statuto vel consuetudine introduci potest, vel vicissim.
2. Prout etiam introduci potest, ut, qui non est Canonicus, vocem habeat in Capitulo.
3. Quibus per sua rescripta non censetur derogare Pontifex.

Notandum primò. Statuto vel consuetudine introduci potest, ut in aliqua Ecclesia major numerus sit præbendarum Canonicalium, quam Canonicoꝝ, quia videlicet una præbenda, vel plures dantur, seu Episcopo, seu Cancellario Academiae, seu Cantori, qui Canonici non sunt; sed & vice versa frequenter fit, ut major numerus sit Canonicoꝝ, quam præbendarum, cum nihil obstat Canonicum creati, qui non habet præbendam Canonicalem, prout sæpe dixi, & notat Anchoran. hic in principio.

2. Notandum secundò. Etiam id consuetudine introduci potest, ut Clericus in Capitulo vocem habeat, qui tamen Canonicus non est. c. cumana 50. de electione.

3. Notandum tertio. Papa per sua rescripta, & mandata non censetur derogare statutis, consuetudinibus, ac juribus particularium Ecclesiarum, nisi sufficienter exprimat, uti hic dicitur, & in c. constitutus 19. de rescriptis. c. ei cui 29. infra hoc tit. 6. idque verum est, tametsi proprio motu emanaverit, prout tradit Franc. in c. simonun. 3. hoc tit. & docui ibidem not. 1. §. hinc intellige.

## CAPITULUM XXVI.

Sibi.

## PARAPHRASIS.

Pontifex concesserat alicui Episcopo, ut ad debita Ecclesie sue solvenda, redditus beneficiorum, intra certum tempus vacantium, percipere posset. Accidit po-

stea, ut beneficium curatum, quod vacabat, Episcopus Clerico conferret, qui simile curatum obtinebat; hoc casu æquum non est, ut prius beneficium propter adeptionem secundi reputari debeat vacare, quamdiu Episcopus hujus secundi fructus percipit.

## SUMMARIUM.

1. Juri scripto, verborum proprietati tenaciter inhærenti, æquitas præferenda est.
2. Non vacat prius beneficium incompatible cum posteriore, nisi fructus posterioris percipiat provisus.

Notandum. Æquitas præferenda est juri scripto verborum proprietati tenaciter inhærenti L. placuit 8. c. de judicijs & reg. 90. ff. in omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est, quare licet in c. de multa 28. hoc tit. decretum fuerit, ut si aliquis alterum curatum beneficium accipiat, post adeptam ejus possessionem, prius curatum ipso jure vacare debeat, ita ut alteri mox conferri possit, sicuti habetur in c. sequente, tamen id extendi non debet ad eum casum, si alterum adeptus beneficium curatum, nullos ex eo fructus percipiat, neque per ipsum stet, quò minus percipiat, uti videre est in casu nostri Capituli, qui proinde per episcopiam excipi debet, juxta ea, quæ docui lib. 1. tract. 4. c. 19. atque huc etiam applicari potest, quod docui lib. 4. tract. 2. c. 5. q. 4. quòd beneficiarius, qui beneficij fructus nullos percipere potest, pro eo tempore ad horas Canonicas non obligetur.

Advertendum autem est, quòd hic tradit Joann. And. n. 3. Anchoran. not. 3. Francus. n. 2. Pontificem non absolute dicere, prius curatum non vacare, sed non esse reputandum, ut vacans ad eum effectum, ut alteri conferri possit, donec ex posteriore fructus percipiat provisus: ex quo inferunt, si fructus consequatur, non esse in electione curati, utrum ex duobus beneficijs dimittere malit, cum ex eo tempore

U ;

bene-



beneficium prius verè vacet, etiam in effectu.

## CAPITULUM XXVII.

## Cùm de non Sacerdotali.

## PARAPHRASIS.

Si Papa mandet Titio provideri præbendam non Sacerdotalem, atque is velit sibi conferri Sacerdotalem, non potest id fieri: similiter si in Ecclesia aliqua sint præbendæ integræ, & dimidiæ, & Papa jubeat alicui conferri integram, non potest ipsi, quamvis consentienti dimidia præbenda conferri; eadèque ratione, si Papa jubeat alicui præbendam certi valoris provideri, non potest tale mandatum, etiam volente eo, pro quo scribitur, in præbenda minoris valoris adimpleri, quia mandata hujusmodi, quorum fines diligenter observandi sunt, ad casus alios præter expressos extendi non debent.

## SUMMARIUM.

1. *Extendi non debet mandatum, ultra mandata, etiam ex consensu partis.*
2. *Explicatur regula, quomodo in eo, quod plus est, minus contineatur.*

**N**otandum, Mandatum in forma specifica impleri debet, neque ad aliud, quam mandatum sit, etiam ex partis consensu, extendendum. Ita hic dicitur, & sumitur ex *L. diligenter* §. ff. *mandati L. cum* 12. c. eodem. & tradit hic *Dominic. & Franc.* n. 12. atque adeò hoc verum est, ut tametsi forma præscripta commissario vel executori cedat in commodum partis, huic suo commo- modo pars renunciare non possit, ita ut mandatum in alia forma, seu specie, executioni mandetur *argum. cit. L. diligenter*, quia qui formam mandati transgreditur, aliud facit, quam mandatum est.

2. Obijcitur Regula 110. ff. *in eo, quod plus est, semper inest & minus.* & Regula 35. in 6. *plus semper in se continet, quod est minus:*

ergò si Papa jubeat alicui conferri præbendam integram, vel valoris 200. aureorum a minorum, contentus esse censetur præbenda dimidia, vel præbenda centum aureorum, si contentus sit is, cui providendum. Confirmatur *exc. ex parte 27. de decimis ibi: ubi major conceditur, minus etiam concessum videtur.* & Regula 35. in 6. *cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus.*

Ad objectionem Resp. cum *Dino in cit. regulam 35. Decio in regulam, non debet uti, ff. n. 5.* Si id, quod minus est, comparatione majoris se habet, ut pars ad totum, verè sunt regulæ allegatæ; si autem quod minus est, habet ad majus, ut species diversæ, tunc regulis his locus non est, sed alia ponenda, quòd in mandatis, dispensationibus, delegationibus beneficialibus rescriptis, & alijs ejusmodi, quæ strictæ esse debent interpretationis, ob identitatem, vel majoritatem rationis, non possit fieri extensio à casu expresso ad non expressum, *argum. L. solemus. 60. §. ult. ff. de judicijs.*

Ad confirmationem dico, *ex cit. c. ex parte* ostendi priorè partem Responsionis: cum enim novalia sint veluti species quædam decimarum, ideò si Pontifex universum concedat Religiosis, ut ex terris parochiarum suarum decimas integras, seu quatuor parte Episcopali non detracta, percipiant, id etiam de novalibus intelligi debet. Ad regulam 35. similiter dicitur, eam veram esse, si minus habeat se, ut pars saltem virtualiter contenta in majore. *argum. L. ut in ea 22. §. sed qui ff. de adulterijs* & indicat *Gl. in c. in literis 5. v. prædo de restitutione spoliatorum.* ubi dicitur in *L. in suis* 11. *propè finem ff. de liberis.* Quod bannitum, vel latronem, quem occidere licet, multò magis spoliare bonis concessum sit; item, si dispensatum sit cum illegitimo ad Sacerdotium, consequenter dispensatum ad Ordines inferiores, sicuti ex communi tradit *Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 1. n. 35.* si cum Religioso dispensatum sit ad testamentum condendum, consequenter etiam posse cum codicillum facere *L. Mar-*  
cellum